TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

CRISIBUS:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT,

JOANNES HERBERT ORPEN, HIBERNUS.

Ad diem   Octobris, hora locoque ſolitis.

Τὰ δὲ ἱερὰ ἐόντα πρήγματα, ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται.
Βεβήλοισι δὲ, οὐ θέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν ἐπιστήμης.

Hippoc. Lex.

EDINBURGI:

Apud A. DONALDSON et J. REID.

MDCCLXIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30543320

REVERENDO VIRO,

PATRI OPTIMO,

THOMÆ ORPEN,

ECCLESIÆ ANGLICANÆ PASTORI
OCCULATISSIMO,
ÆQUISSIMOQUE SUB REGE IRENARCHÆ.

S.

NUlla, optimorum optime PATER, *meditatione indigui, ut hiſce laborum meorum primitiis fautorem prae te adſciſcam; quum pars ne vel minima, mei tam corporis, quam animi, extat, quae paterni tui amoris, ſummaeque diligentiae, inſignes non ubique notas ſervat. Quot et qualia tibi debeo, ne vel maximorum inter poetas pictoreſve calamis depingi deſcribive poteſt: de hiſce itaque non niſi ſummo cum animi moerore taceam. Crede mihi attamen, quod citius ex coelo aſtra decident, piſceſque pro pratis maria commutabunt,*

tabunt, imo tu citius pater optimus, amicus conjunctiſſimus, humanique generis amator veriſſimus *eſſe deſines, meo quam ex animo, quantum tibi debeo, ut* patri, *ut* amico, *effugiet. Diu igitur ut vita in terris, tuis par meritis, fruaris; et poſthac* COELICOLIS *temet immiſceas, ibi in aeternum gaudiis veris potiri, et omnia denique bona* DEI TER OPTIMI MAXIMI *participare, exoptat exoratque*

Filius tuus devinctiſſimus,

JOANNES HERBERT ORPEN.

RATIO OPUSCULI.

MUlto nequaquam ſine pavore, jam jam me oſtendere auſim; tenebris enim nemo in lucem poteſt evenire, quodam ſine attonitu, ſolem ob fulgentem! oculi mei praeſtringuntur! aſpectu quodque ſentitur, formam habet quaſi duplicem! quid igitur faciam? quomodove hocce valeo ſuſcepto officio fungi? Eheu! procul dubio miſeri ſunt hi auctores, qui, nolentes volentes, *ad ſcribendum ſunt adacti, vel qui, noſter ut habet vere facetus poeta (a),*

——————————— in ſpite
Of nature and their ſtars do write.

Rem vero ſic ſe neceſſe eſt habere, ſi obſequium, quod par eſt, inclytae hujus academiae legibus concedere velimus: leges has vero optime dico inſtitutas; quidnam melius, imo generoſius eſſe valet, quam, ut quiſque medicinae candidatus, *gradum antequam doctoralem obtinet, ſemet mundo probaret* medicum; *praeſertim vero quum non eſt in aegro,* ignarum empyricum *docto dignoſcere medico?*

Diu haeſit animus, de quo ad medicinam pertinente oportet mihi agere; plerique nam morborum a viris plurimis ingenioſis tam ſcite ſunt exculti, ut in me arrogantiam fieri nil praeter maximam *poſſet, ſi de illorum quocunque, tradere quidquam hactenus quaſi ignotum, ſuſciperem. Hoc modo maximam paſſus fui anxietatem;* ſic *vero* me ſervavit Apollo.

(a) Butler.

Dum,

Dum, mente revolvendo partes medicinae diverſas, in totum occupatus, ut inde quid colligerem ſcribere quo placeret; naturam CRISIUM *mihi ſors objecit: de haccé igitur dicere pauca ſtatui; minime, ſpes me tenere aliquas, rem tam difficilem expediendi; ſed mere pars ut medicinae, neceſſaria admodum medico, mihi innoteſcat. Injuſtum foret a tyrone aliquid expectare praeter* rudem indigeſtamque molem; *etenim ὁ βίος βραχὺς ἡ δὲ τέχνη μακρή, eſt profatum certe veriſſimum. At cur in hoc morarer, quonium omnibus ſit compertum, aetatem, ſive experientiam* (mens enim et conſilium in ſenibus eſt), *doctrinam, judicium, aliaque multa auctori requiri, ut in publicum edat aliquid pollice dignum. O utinam mihi licuerit monitum hunc perſpicaciſſimi ſequi* FLACCI!

> Id tibi judicium eſt, ea mens. ſi quid tamen olim
> Scripſeris, in CULLENI deſcendat judicis aures,
> Et patris, et noſtras; nonumque prematur in annum,
> Membranis intus poſitis. delere licebit
> Quod non edideris: neſcit vox miſſa reverti.
>
> *Hor. epiſt. ad Piſ.*

Scripturus inſuper diu verſare *debet*, quid ferre recuſent? quid valeant humeri? *ſed nil horum heu! tyroni eſt conceſſum, neque forſan ſcit ſatis, an* invita dicturus facturuſve Minerva. *Quid multa? omnibus non niſi hiſce ſub anguſtiis preſſus, tentamen hocce capeſſivi.* Dii coeptis adſpirate meis.

TENTA-

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE CRISIBUS.

PROOEMIUM.

MIRABILI certe, aeque ac maximo artificio, ſummus rerum CREATOR corpora noſtra fabricavit! Et ſi nos mortales eſſe voluerit, majori tamen benevolentia, de eo ſanè quam meremur, hiſce corporibus quaſdam dedit vires, quibus in ſat longum tempus protrahi queat vita:

———————————*Ob haec nunc,*
Laus illi debetur et a nobis *gratia major.* HOR.

Quoddam corpore in humano principium adeſſe videtur, quo pulchre mera diſtinguitur machina: ens illud volo *naturam* vulgo dictum, quo corpora noſtra excitantur, fortiter ad repellendum quodcunque noxium interne vel externe eis ſit admotum. "Animae eſt," inquit cel. NICHOLS, "modo firma ea ſit et vegeta, ut corporis rebus, vel cuſtos fidus vel imperator ſagax perpetuo

invigilet *(a)*." In totum a ratiocinandi facultate diſcreta manet; unde HIPPOCRATES, Ἀνευρίσκει ἡ φύσις αὐτὴ ἑω τῇ τὰς ἐφόδοις, οὐκ ἐκ διανοίης. et paulo poſt, ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα, καὶ οὐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιέει *(b)*. et omnia fere animalia ea fruuntur *(c)*. Proxime ſenſibilitati jungitur, et hujus, ni fallor, ab *idea* nullo modo diſgregari poteſt: at aucta ſenſilitate corporis, augetur et quoque ejuſdem ad morbos proclivitas; corpora autem poſſunt non reddi ſenſiliora, niſi aptitudinis cum augmento, ſeſe cauſis a morboſis liberandi: et hocce perſpecto, quid vetat quin elati, regio atque ſancto cum pſalmiſta exclamaremus: *O Jehova, quam ampla ſunt tua opera! quam omnia ſapienter ea feciſti!*

SED ad rem: ſi quando pars corporis ulla ſenſibilitate pollens, male afficitur; ſtatim vis illa tutelaris ſuſcitatur, ut vim vi opponeret. In hoc

(a) Praelect. de anim. med. p. 12. &c.

(b) De morb. vulgar. lib. 6. § 5. p. 1184. edit. Fœſ.

(c) Cl. Mead quaſdam differentias poſuit inter *animam* brutorum hominumque *animum*; at melius forſan a vocibus *anima* et *animo* abſtinuiſſet, illorum loco ſuccenturiens verbum multo minus ambiguum, *natura* nempe, quæ omnibus pene eſt eadem animalibus; ſiquidem vulnera aliique morbi brutorum, eodem modo, ni fortaſſe citius, ac illa hominum ſanantur. *Vid. Mead's works, vol. 2. p.* 111. *edit. Donaldſon.*

conflictu

conflictu *ſympathia* quoque haud parum confert ad hoſtem debellandum, quoniam ab hac in unam quaſi, partes tam multae maximeque diſſitae, rediguntur: hinc quum pars una ſit laeſa, multae, imo quandoque corporis quaeque partium, ſociam ſublevare ſuas ſymbolas ferunt, quieſcentibus pro turbatis certamini ſemper ineuntibus. Nullibi credo reſpublica invenietur tam optima ditata oeconomia! cujuſve motus gubernator tam ſapiens fortiſque dirigit!

Fac, ut hocce jam conficiam ſequenti, quod nunquam oblivifcar, et quod Pater mihi *chariſſimis* charior, me adhuc puerum olim docebat. Poſtquam caſu aliquo coram illo ſternutavi, me ſub hoc rogavit, Quid eſt ſternutatio? Obmutui, nam quaeſtionem tunc temporis enodare haud potui. Reſpondebat ille, et ut utar vocibus ſuis, "Sternutatio eſt conatus cerebri ad excutiendum quod ei ſit noxium;" cujus veritas mihi dudum eſt comperta. Quid quaeſo vocari poteſt palpebrarum nictitatio et effuſio lacrymarum quando in oculo haeret ſabulum, praeter naturae conamen ut partem illam delicatulam re ab adeo noxia liberaret? et, ne plus temporis in hoc tererem, quid omnis febris, niſi naturae nixus materiam ut ſolveret morboſam, et e corpore eliminaret?

Capita exponenda.

His praemiſſis, propius jam ad opus noſtrum adventuri ſumus: antequam vero ulterius progrediamur, haud ingratum ſpero futurum, ſchema praeponere quoddam aſſequendum: hoc eſt, 1mo, Criſium definitionem tradere, cauſamque earum maxime generalem inveſtigare. 2do, Quaedam de diebus proferre decretoriis. 3tio, Denique, ſigna criſium enumerare. De ſingulis in ordine.

CAP. I.

Criſis variae ſignificationes.

Variae criſis ſignificationes, et quid per eam intelligebant veteres.

CRISIS a Graeco fonte (κρισις) derivatur, et deſignare videtur judicium, ἀπο τȣ κρινεσθαι, a judicando, dictum; nam quando aegri diris illis vexati fuerunt ſymptomatibus, criſin quae plerumque antecedunt, tunc omnino neceſſarium fuit ut adſtantes conturbarentur, atque ideo exclamarent, quod judicium de vita aegrotantis ageretur: hinc GALENUS noluit a medicis inditum fuiſſe nomen, ſed a quopiam potius vulgari, qui ipſos naturae nixus depellere morbum, κρισιν, id eſt, judicium, nominaret.

MULTUM vero, criſis circa vocabuli ſenſum, diſcrepavere auctores. Antiqui id vel denotare voluerunt,

voluerunt, *noxiorum e corpore excretionem (d), vel ſimplicem morbi ſolutionem (e); aut naturæ cum morbo certamen et pugnam (f);* aut ſaltem, per id *medici judicium morbi de eventu* intellexerunt. Juxta GALENUM, quantum plurimis ſuis ex ſententiis colligendum, *criſis ſubita in morbo eſt mutatio, vel ad ſanitatem, vel ad mortem:* fit autem, inquit, τῆς φύσεως διακρινȣ́σης ἀπο των χρηςῶν τὰ μορθηρὰ, καὶ παρασκευαζȣ̃σης πρὸς την ἔκκρισιν (g). Huic nomen criſiôs inſignivit; et alibi dicit, Καὶ γίνεται μὲν παντως ἐπὶ φανεραῖς τισιν ἐκκρίσεσιν, ἢ ἀξιολὸγοις ἀποςάσεσιν. Paulo poſt ſubjungit, ἡγεῖται δὲ των ἐκκρίσεων τε, καὶ των ἀποςάσεων τȣ́των, ȣ̓ σμικρὰ ταραχὴ κατὰ τȣ̃ κάμνοντος σῶμα (h). Non omnem morbi ſolutionem, criſin vocavit GALENUS; voluit etenim hanc magnis in morbis, ſciz. acutis, obtinere, parvos e contrario ſolvi tantum (i). Neque pa-

Galeni de ea ſententia.

Quibus in morbis ſolutio accidit, quibus criſis.

(d) Corrupti oſſis excretionem, criſin vocat Hippocrates, lib. in art. το κρινειν, ſequeſtrare, vel aliquid quaſi per cribrum ſaccare eſt.

(e) Κρισις εςιν απολυσις νȣσȣ, Hip. lib. 1. de praeception. unde κρινεσθαι ſit λυεσθαι, hoc eſt morbum ſolvi. Galen. 2. prog. t. 26.

(f) Κρινειν nonnunquam dimicare ſignificat. Sennert. oper. tom. 1. p. 549.

(g) Comment. in lib. 2. aphor. 13.

(h) De criſibus, lib. 3. cap. 2. (i) Ibid. lib. 1. cap. ult.

riter,

riter, in mortem morbi mutationem, ſemper criſin nuncupavit; nam mori abſque criſi, quoſdam, ait, aegros morbi in initio; imo in ſtatu, natura morbo ſuccumbente; quandoque etiam, ſed rariſſime, in decremento, ſoluta vi vitali *(k)*. In his vero ponit, naturam nullum edere impetum morbum debellare: quandocunque enim quaedam molitur per excretiones vel abſceſſus, etiamſi deficiat; talem voluit nihiloſecius criſiôs nomen meruiſſe. Has mutationes in morbis a natura factas, concinne ſane at divine complexus eſt in hiſce verbis Hippocrates, ἐπὶ σωτηρίην, ἢ το ολέθριον ἢ ῥοπὰς ἐπι το ἄμεινον, ἢ τὸ χεῖρον *(l)*. Ex his profluunt primae criſium differentiae; ſciz. Perfecta optima, perfectaque peiſſima; bona ſed imperfecta, et peſſima ac imperfecta; et unicuique harum omnes aliae ſunt referendae. Haud ignoro quoſdam plures enumeraſſe; et, ut has breviter percurram, quaedam illis fuerunt fideles et certae, quaedam non, quaedam manifeſtae, quaedam obſcurae; aliae periculoſae, et citra periculum aliae; et quaedam denique per dies indicatorios notatae fuerunt, dum aliae ulla ſine indicatione apparebant. De his

Morbi quandoque abſque criſi terminantur.

Hippocratis ſententia.

Criſium differentiae.

(k) De criſibus, lib. 3. cap. 9.
(l) Epidem. 1. ſect. 3.

ſileamus,

ſileamus, quoniam ſub quatuor prioribus comprehenduntur; de quibus vero dicere convenit, quod criſis perfecta optima eſt, ubi morbum citiſſime pro ſanitate commutat aegrotus. 2. At aeger cum continuo moritur, tunc perfecta peſſima merito aeſtimatur. 3. Si autem aegroto aliquam ferat opem, ita ut melius ſe habeat, criſis vocatur bona ſed imperfecta. 4. Et e contrario, quando praegreſſis criſiôs ſignis ingraveſcit morbus, pro peſſima imperfectaque jure habeatur *(m)*. Signa adſunt utriſque harum propria, quibus inſtructus medicus, an criſis bona an mala ſit futura? praeſcire poterit: de hiſce vero poſtea.

Hactenus veterum ſententias quoad criſiôs ſignificationem indagavimus; hiſceque omnibus

(*m*) Res jam dictas ſummatim attigit ſcite Galenus his quae ſequuntur. Καλῶ δ' ἀτελῆ μὲν κρίσιν, ὅταν ὑπολείπηταί τι τοῦ νοσήματος· ἄπιστον δὲ ὅταν ὑποτροπιάζῃ, κινδυνώδη δὲ, τὴν μετὰ συμπτωμάτων σφαλερῶν, ἀσαφῆ δὲ, τὴν χωρὶς ἐκκρίσεως, ἢ τινος ἀποστάσεως ἐπιφανοῦς. ἄσημον δὲ τὴν ὑπὸ μηδεμιᾶς τῶν ἔμπροσθεν ἡμερῶν προδηλωθεῖσαν. ἡ κακὴ δὲ, ὅτι πάντως εἰς ἀπώλειαν τελευτᾷ τοῦ κάμνοντος, οὐ δέομαι λέγειν. ἔμπαλιν δὲ, τελείαν μὲν καλῶ, τὴν μηδὲν ὑπολείπουσαν τοῦ νοσήματος. πιστὴν δὲ, καὶ βεβαίαν, καὶ ἀσφαλῆ, τὴν μηκέτι ἐπανερχομένην, ἀκίνδυνον δὲ τὴν ἀνέυ συμπτωμάτων σφαλερῶν, οὕτω δὲ καὶ σαφῆ τὴν μετὰ τινος ἐκκρίσεως, ἢ ἀποστάσεως φανερᾶς. εὔσημον δὲ τὴν προδηλωθεῖσαν ὑπο τῆς ἐπιδήλου. ἀγαθὴν δὲ, ὅτι τὴν εἰς ὑγείαν τελευτῶσαν χρὴ νοειν, οὐκ ἄν τινὰ οἶμαι λαθεῖν. De dieb. decretor. lib. 1. cap. 2.

Criſis definitio.

rite penſitatis, clare patebit, criſin eſſe *ſubitaneam morbi mutationem in pejus aut ad melius; cui inſignes in corpore perturbationes antecedunt: quae nova recludunt ſymptomata, et quae vel comitantur, citove ſequuntur, evacuationes notatu dignae aut abſceſſus (n).* Quaeſtio ſeſe nunc prodit, Qui morbi per criſin terminantur? Hi febres acutae omnes eſſe videntur, quae pro cauſa habent aliquid intus generatum, i. e. quae oriuntur ex materia quadam morboſa fluidis hoſpitante. Nil intereſt an quantitate ſive qualitate fluida noſtra peccant; nam ſat erit ſi idonea ſint, naturam humorum ad excretionem irritare: nominatim vero recenſere morbos, quibus criſes apparent; a nobis, quoddam neceſſario praemittendum de *materia morboſa*, morborum quatenus cauſa: neque talem diſquiſitionem inſtituto alienam eſſe puto, quoniam ab illa erimus quaſi delati ad veram criſiôn cauſam.

(n) Omnia phaenomena ex criſi quae proveniunt, partim ſuum ab illa nomen accipiunt: hinc perturbationes modo memoratae, excretiones, et materia excreta vel in loca quaedam corporis depoſita, *criticae* vocari ſolent.

SECT.

SECT. I.

De cauſa morborum materiali.

NEMO, ut opinor, inficias ibit, corpus humanum machinam eſſe *hydraulicam*, animatam, ex congerie fiſtularum (humorum aptarum maſſam heterogeniam recipere) mirifice contextam (*o*). Haec ſolida animalia conſtituunt, et duobus quaſi gaudent principiis, altero ſentiendi, alteroque movendi (*p*): ſolida noſtra ob hoc viva appellantur, id eſt, quae vi vitali pollent (*q*), et quae animi auctoritatem agnoſcunt, ſive motum jubeat vel quietem. Roget forte quis, ut in cerebro mens eſt rata habitare, quomodo in fibras movendas, impulſus et propoſita ejus deferri poſſunt? Reſpondere licet, per nervos, ſciz. per chordas, quae in ſeries fere fibrillarum infinitas dividi poſſunt; an autem cavae vel ſolidae ſunt hae fibrillae, nunquam, ni fallor, patebit: ſi revera nos licuerit in medium afferre hypotheſin, quantum conjectura auguror, videntur nervi, ut voluntatis nuncii, maximam prae ſe ferre ſimilitudinem cerebro, quoad contenta ſua: adeoque ut in cerebro mens, ita in

Quae ſtructura corporis humani ſit.

Solida viva quae ſunt.

Propria nervorum natura.

Hypotheſis quoad nervorum eſſentiam.

(*o*) Nil itaque mirum maximas ſaepe in tali machina turbas excitari.

(*p*) Vide Gaub. patholog. § 173. (*q*) Ibid. § 169.

C nervis

nervis ens quoddam aliud immateriale colit *(r)*. Si mihi quidem fuerit conceſſum, vis nerveae definitionem tradere; illam, *potentiam motricem atque ſenſitivam, mortalibus a* Deo *impertitam eſſe*, dicerem. Quapropter quid nos nunc inferre vetat, cauſam *materialem* morbificam in vi nervea nunquam eſſe petendam? Motus ſemper ſenſationis eſt conſequentia, et exinde ſolida humana pati vel agi facta eſſe videntur: omnibus eſt praeterea notum, ſenſationes noſtras cauſis intro poſitis vel extrinſecus irruentibus excitari: unde, ſi hos morbos cauſis a foris provenientibus directe ortos, excipiamus; unicuique patebit reliquos omnes ex vitiis humorum quibuſdam, aut ab exceſſu, vel defectu eorundem, ſuam quoad quantitatem motumve circulatorium, pendere. Naturam ſane *vitiorum* humorum me ignorare fateor, neque illa cupio inveſtigare, quae nulla humana ratio capere poteſt: nobis ſat eſt humorum a ſtatu naturali *degenerationem* exiſtere; hujuſque ſat clara documenta multi ſuppeditant morbi, febres praeſertim omnes eruptivae, contagioſaeque *(s)*. Ad febres praecipue ſpectat *criſis*, et hae,

Vis nerveae definitio.

Cauſa morbifica nunquam in nervis ſita fuit.

Morbi fere omnes ex degeneratione humorum oriuntur.

Ejuſdm exempla quaedam.

(r) Utrumque immateriale eſſe poſui, cum utriuſque effectus mechanicis a principiis nunquam exequi poſſunt.

(s) Cum febres omnes eodem fere ad amuſſim modo incipiunt, ſi itaque fieremus certiſſimi quoſdam provenire ex materia morbum faciente, et quae in humores ut fermentum (abſit

hae, viros ſecundum doctiſſimos, in tria genera, *ſimplices* nimirum, *putridas*, *peſtilenteſque*, commode diſtingui poſſunt. Febris *ſimplex* nil niſi concitatus eſt nimis ſanguinis motus, qui, ſi in nimium protrahatur, putrida fiet. *Putridae peſtilenteſque* ex vitiis certiſſime humorum oriuntur; et, ut lingua vario ſapore afficitur ex diſſimilibus inter ſe liquoribus illi applicatis, ſic ſolidis animalibus diverſae inducuntur actiones, prout variae humorum corruptiones extant; et ex talibus ſolidorum affectionibus, omnia naſci videntur *criſium* phaenomena, morborumque differentiae.

Febrium diviſo.

Nova hypotheſis morborum circa differentias.

HACTENUS probare conati ſumus, ſolidos nullo modo ſuas poſſe affectiones creare, illoſque i-

(abſit verbo invidia) agit; cur non idem, ad febres ex cauſa ortas ignota aut ſaltem inviſibili, porrigere licet? ad febres, e. g. intermittentes, quae, juxta *Franciſcum Hippolytum Albertinum alioſque (a)*, nunquam tuto cortice Peruviano ſanantur, criſis ſine interventu alicujus evidentis. Minime me latet, materiam morboſam febrium cauſam eſſe intermittentium, quoſdam negaviſſe: et ut hanc hypotheſin ſtabilirent, quomodo, ſciſcitantur, niſi in nervos, cortex poteſt Peruvianus agere? Hocce autem, quod multum valere putant, facile, ni fallitur homunculus, ſuperandum eſt; tuto nam poſſumus, ut opinor, adſerere, humores procul dubio mutationes quaſdam ab hocce medicamento pati, omnibus quod medicis practicis, ni multum hallucinentur, compertum eſt: ope quoniam ejuſdem partes gangraenoſae, ſciz. mortuae, ab adhuc viventibus tollantur: et optimam cum denique ſuppurationem expedire videtur.

(*a*) Act. Bonon. an. 1731.

 deo

deo ſaepe in actum, a *materia vera morboſa* fluidis inhaerente, deduci. Propoſitio etiam haecce nequaquam tam late extenditur ſequenti quam Riverii, " Morbi fere omnes, a variis humoribus naturalem conditionem non ſervantibus, producuntur *(t)*." Sufficiant haec de cauſa morborum interna: quomodo natura ejuſdem expulſionem tentat, nunc inquirendum.

SECT. II.

De cruditate coctioneque materiae morboſae.

Antistes ipſe medicinae, naturam, optimam morborum medicatricem, vocavit; effatique hujus veritatem omnes credo veros expertum habuiſſe medicos: modus attamen quo illa operatur, mortales, aut ego fallor, ſemper latebit: nobis eſt itaque, de hiſce tantum loqui noſtris quae ſub ſenſibus cadunt, et caſto, ex obſervationibus quae didicimus, calamo depingere: hacce gubernatus regula, methodum, qua *natura* materiam morboſam in expellendo ut plurimum inſiſtit, memet jam inveſtigare accingam.

Cruditas quid in morbis. Causa morbi materialis tali natura praedita ut morbum faciat vel augeat, *cruda* vocatur; ſta-

(t) Vid. opera omnia, cap. 11. p. 57.

tuſque

tuſque hicce morbi dicitur ejus *cruditas (u)*: hujus de *praeſentia* moniti ſumus, ex ſymptomatum augmento, ex functionibus laeſis, at omnium optime per excreta, eorumque, et ſubſtantia et contentis, a ſtatu ſano aberratione: hoc autem magis ut eluceſcat, unum alterumve ex urina proferre licet exemplum. Si alba fuerit atque pellucida, ſignum in morbis *cruditatis*, malique ſemper eſt ominis; ſed in phreniticis maxime, in corpore quia craſſa omnia relinqui monſtrat, quae meningum, cerebrique arteriolis haerentia, inflammationem doloremque augeant, et encephalon denique comprimendo, omnem inter animam atque corpus e medio nexum tollant. Ob eandem quoque rationem, febri in ardenti malum dat ſignum, *καυσώδεσι δὲ κακόχως, κάκιστον οὖρόν ἐστι τὸ ἔκλευκον (x)*. At urina quoque rubra abſque ſedimento, ſummam morbis in acutis *cruditatem* docet, utpote adtritum eſſe teſtatur magnopere auctum. Colorem odoremque ſuum ab oleo recipit urina. "Color urinae dependet maxime ab oleo calido ſubtili," inquit HOFFMANNUS *(y)*; pauloque inferius ha-

Hujuſce exemplum ex urina ſumptum.

Urina tenuis malum dat ſignum.

Ut et rubra.

(u) Van Swieten comment. in aphor. de cognoſcend. et curand. morbis, tom. 1. § 402.

(x) Hip. Coac. praenot. ſect. 2. § 581. p. 213. edit. Fœſ.

(y) Oper. omnia, tom. 3. ſect. 1. cap. 14. p. 377.

bet,

bet, “ Porro in omni calore praeter naturam aucto et aeſtu febrili, urinae pauciores et coloratiores, flavo et rubro colore plus minus ſaturato tinctae profluunt, eo quod internus accenſus calor, partes ſanguinis ſulphureas, a quibus color, valde exaltat, auget, et humidum inſenſibiliter conſumit ac diſſipat *(z)*”; quod idem eſt ac ſi quis diceret, non poſſe oleum ſolvi, adtritu niſi aucto; coloremque ubi rubrum induit urina, humorum inopiam tenuiorum indicat, ideoque ſummam *cruditatem.* Alia *cruditatis* documenta, variis ab excretis deſumpta, ut a ſputo, redditis per vomitum, alvique dejectionibus, &c. commemorare liceat: ſed ut ſupervacaneum plura foret enumerare, illa itaque ſilentio tranſire volo. Quae ſit coctio, paucis proxime exponendum.

Coctio quid et quotuplex.

Hanc antiqui duplicem exiſtere volunt, unam πεψις quae vocatur, alteram vero πεπασμος. Prior veram iſtam et propriam *concoctionem* ſignificat, qua alimentum in corporis noſtri ſubſtantiam commutatur: eam ait Galenus eſſe ciborum alterationem in propriam et convenientem qualitatem, ejus quod nutritur, quam *Graeci* πεψιν. vocant *(a)*: et alio narrat in loco quomodo *pe-*

(z) Loc. cit. p. 378.

(a) In 3. de natur. human. in text. 4. et in lib. de ſympt. differ. cap. 4.

pſis

pſis a *pepaſmo* differt, ubi ſcribit, πέψις γὰρ τίς ἐστι τῶν παρὰ φύσιν, ὁ πεπασμὸς τȣ̃ νοσήματος (*b*). Mutationem idcirco *pepaſmum* vocare nos oportet, *non ciborum*, *ſed noxiorum humorum*, *adeo ut minus corporis functiones laedant*: ad ſeparationem maſſa ab humorum ſalubri, et ad eliminationem quoque ex corpore, vel per vitam ſuperſtitem, mutationeve materiae ſpontanea, aut medicamentis idoneis, apti redduntur (*c*). A nobis etſi quae jam dicta *pepaſmi* fuſe ideam complent, ut clarior attamen fiat, materiae *coctionem* morbificae, *cruditatem* atque, cereviſiae fermentationi, non alienum erit conferre. Floribus vinoſa fermentatione ſeparatis, infuſo hordei non fermentato additis, brevi hoc fermenteſcere incipit, pergit; omnes donec ejus ſunt aſſimilatae particulae, et in ſuperficie nova florum quantitas ejicitur. Videamus vero, quid in morbis huic affine contingit: *malti* infuſionem non fermentatam ſanis humoribus componemus; his ſi itaque, puris particula variolarum etiam minima permiſceatur; ſtatim febris excitatur, ſignaque

Collatio quaedam, ut natura cruditatis coctioniſque melius eluceſcat.

(*b*) Comment. in lib. 1. epid.

(*c*) Pepſin pulchre notavit *Gorraeus* rerum eſſe coctionem ingredientium, pepaſmum vero exeuntium. Vid. defin. med. p. 501.

multa

multa *cruditatem* humorum oſtendunt: ſtatus hicce morbi, fermentanti liquorum reſpondet; materia vero morbi a natura tandem devicta concoquitur, et ad cutem ſive ſuperficiem propellitur, expurgatur (*d*). Cereviſia itidem, quae vinoſam ſemel fermentationem ſubiit, eandem nunquam poſtea patitur: pari modo humores, olim qui variolarum labem ſuſtulerunt, in poſterum ſimili nunquam ſunt contaminandi materia.

D. Pringle de coctione ſententia.

Huic antequam finem faciam, cel. D. Pringle memorare volo ſententiam; cujus, quae facit, febrium ex *putrefactione* pendere: et ideam ut probaret eandem, ipſo ab Hippocrate fuiſſe habitam, ſequentia ex Gorraeo ſe proferre putat. "Σήπειν, quod eſt putrefacere, Hippocrati concoquere ſignificat, ut et σῆψις concoctionem (*e*)." Et exinde

(*d*) Congruens non in totum eſſe videtur haecce collatio illis multis quae in morbis eveniunt; plurimi nam adſunt, quorum cauſa materialis non ad ſuperficiem, ſed *qua data porta* ruit. Locum ei autem hic ſolummodo dedi, uni quia exemplo (forſan pluribus conveniet) reſpondebat, et quandoquidem *coctio*, *cruditas* atque, morbus quoad omnes, in genere ſunt eaedem; ſi itaque in uno probe quae ſunt, dicerem, quid reliquis in omnibus per eas intelligendum, me quoque dixiſſe puto. Unde collationem meam non omnino alienam eſſe futuram ſpero.

(*e*) Hic loci cel. Pringle ad definitiones Gorraei lectorem relegat; in hocce autem memoria ſibi infida fallitur, verba

exinde, ſecundum clar. Pringle, Hippocrates, in lib. de diaeta, idiomate uſurpatur hocce, σεσηπτὸς διαχώρημα, *putrefactae faeces*; quod vulgo alvi interpretatur egeſtio concocta. Adjicit inſuper, concoctionem humorum nil niſi eorundem denotare putredinem; ab hac quoniam plus habent fluiditatis, aptioreſque redduntur, vaſa permeare minora, quibus prius ſteterunt: reſolutionem etenim aut tenuitatem, comitem putrefactionis individuum eſſe ponit; neque dubitat aſſerere, notas corruptelae certas admodum eſſe conſpicuas, criticis multis in evacuationibus, v. g. ſudoribus *(f)*. Si permiſſum ſe tyro habeat, a viro diſſentire tam egregio, dicam, quod excretionum pleraeque criticarum theoriae ill. Pringle

verba cum citata minime habet Gorraeus. Hoc ab optimo meo praeceptore Cullen, viro in arte medica peritiſſimo, miraque ingenii acutie praedito, compertum habui: et ille inſuper verum auctorem eorum meis in manibus poſuit, librum nempe cel. Foeſii de *oeconomia Hippocratis*, quo, ſub voce σεπεινη, citata verba reperiantur. Quanquam vero parens medicinae fuiſſet Hippocrates, et laus quamvis ſempiterna ei ſuam ob diligentiam debetur, flocci autem auctoritas ſua quoad medicinam theoreticam, ſeu chemiam, philoſophiamque naturalem, ab omnibus aeſtimatur: et merito, ullum quum vix potuiſſet fundamentum jactitare, quo theoriam juſtam, putrediniſque maxime, conderet.

(f) Vid. Obſervations on the diſeaſes of the army, edit. 3. p. 344.

Refellitur ut plurimum argumentis ad hominem.

minime congruunt; nam ſi tenuitas putrefactionem comitatur ſemper, et putrefactio cum concoctione ſit eadem, unde quaeſo concocti pleuritide ſputi oritur *tenacitas?* cur etiam, inſtar fili, deduci poſſit materia gonorrhoeae concocta? et qua demum de cauſa adeſt in urina, materia febrilis concocta ſub ſpecie muci *(g)*? Omnes etiam una voce conſentiunt, putrefactioni ſemper acrimoniam conjungi; Duretus attamen πεπασμον mitificationem vertit *(h)*, et in hoc ſenſu aliis ab omnibus fere auctoribus intelligitur. Quid opus eſt multis verbis? quum totam cel. viri theoriam hoc ſolum ad diruendum ſufficiat; quod, ut ſupra annotavimus, cortex Peruvianus ſuppurationem, ſciz. concoctionem ſemper, ut in *variolis*, *gangraenis*, *vulneribus*, &c. expedit: juxta autem cl. Pringle, ni vi *ſeptica* gaudebat, *concoctionem* non potuit celebrare *(i)*; at eum potentia *antiſeptica* valde pollere, ejuſdem magni experimenta viri omne citra dubium collo-

(g) "Quando morbus in pituitaria membrana eſt, excretum mucum oportet *craſſum* eſſe et albicantem: quando in ſanguine morbus haeret, urina debet *craſſa* et ſtranguriosa eſſe." *Boerh. comment. in inſtit. pathol. p.* 288.

(h) Comment. in Coac. praenot. Hippoc. p. 9.

(i) Ex virtute ſeptica pulverum teſtaceorum illum ſuus fert animus putare, poſſibile eſſe quarundem febrium *criſes* ab his expedi poſſe. Vid. l. c. p. 356.

cant

cant (*k*): hinc veriſſime tuto deducamus, corticem Peruvianum virtute ſua *antiſeptica* concoctionem promovere, et exinde *concoctio* aliquid putrefactioni oppoſitum eſſe videretur.

Coctio quid praeſagit.

Hucusque quid ſit *coctio*, enucleare moliti ſumus: quid praeſagit, adhuc vero dicere reſtat. Illam bonam ſemper dare prognoſin, nullos ignorare credo; res aliter ſe habere nequit, ipſa quoniam *coctionis* definitio vitiatorum humorum emendationem ponit. Hoc tenes ab ipſo medicinae parente confirmatum, πεπασμοί ταχύτητα κρίσιος καὶ ἀσφαλίην ὑγιείην σημαίνουσιν (*l*): et, juxta Galenum, ſigna *coctionis* perpetuo ſunt bona, et nunquam mala (*m*); adeoque his ſub conſpectu cadentibus, omni a timore aegroti cauſa ilico ablegatus fuit; nam agnoſcit, cum millies intereſſet dum criſes fierent, ſe neminem unquam vidiſſe intereuntem, qui praecedentibus *coctionibus* criſin habuiſſet (*n*). Signa *coctionis* in excretis tantum excrementiſque ſunt

(*k*) Inquit enim, in gangraenis ſi vaſa ſint laxata, et ſanguis ſit ſolutus aut putrefactioni proclivis, (vel ex mala corporis temperie, aut putridae cujuſdam materiei abſorptione), tunc remedium ſpecificum praeſtare corticem velit. *Vid. appendix to obſervations on the diſeaſes of the army, edit.* 3. *experiment* 17. p. 343. Vid. *et part* 3. *chap.* 4. *p.* 201. *& append. paper* 1. *experiment* 7. *& paper* 2. *experiment* 11.

(*l*) Epid. lib. 1. ſect. 2. text. 45.

(*m*) Comment. in lib. 1. aphoriſmorum.

(*n*) De criſibus, lib. 3. cap. 3.

petenda, ſciz. in *ſputo*, *bile*, *alvi dejectionibus*, *urina*, *ſudore*, &c.

Coctionis a ſputo ſigna.

In morbis pectus atque pulmones occupantibus, imprimis *ſputum* inſpici debet; *crudiſſimus* nam ſolet *pleuritis* appellari, in quo nil expuitur; ſputo vero circa initia apparente, morbum abbreviat; dum ſi prorſus poſt cernitur, producit. Morbum ad ſtatum ſuum perventum eſſe, certiores facti ſumus, ex ſputi *copia*, *albedine*, *laevitate*, *et aequabilitate*, potiſſimum vero ſi *facilitate* quadam atque *levamine* rejiciatur. Sputum hujuſmodi omne, *concoctum* dicitur.

Ab alvi excrementis.

Ventris in aegritudinibus, contemplanda ſunt *alvi excrementa*, de quibus monet Hippocrates optima eſſe quae exierint mollia conjunctaque, illo praeſertim tempore quo ſanitate conſueverant, aſſumpto cibo, quantitate convenientia (*o*).

A bile.

Bilis quoque, in viro ſanitate qui pollet, eſt ſubflava parumque acris; haec, ab aliquo caſu, ſumme acris flavaque facta, *cruda* fit: ubi vero colorem et acrimoniam modo memoratum amittit, et minus foetida inſuper reddita eſt, tunc *concoctam* eſſe patet.

Ab urina.

Febribus omnibus in acutis, ſigna *coctionis* in *urina* ſunt quaerenda; haec qualia ſunt, et quae praeſagiunt, optime ſequentibus deſcribit Hippocrates. Τὸ δὲ οὖρον ἄριστόν ἐστι,

(*o*) In 2. prog. p. 39.

ὅταν

ὅταν εἴη λευκή τε ἡ ὑπόςασις, καὶ λείη, καὶ ὁμαλὴ παρὰ πάντα τὸν χρόνον, ἔςʼ ἂν κριθῇ ἡ νοῦσος. σημαίνει γὰρ ἀσφάλειάν τε καὶ νόσημα ὀλιγοχρόνιον ἔσεσθαι (*p*). Qui plura de urina cupit, opera Bellini adeat (*q*). *Sudor* qui probus, quique malus, haud tam facile dignoſcendus; nihilominus aſſerere liceat, quod quo plus tum quantitate tum qualitate aegroti ſudor, ſani ab illa hominis recedit; et quo minus naturae convenit morbi, eo pejoris eſt ominis, et *vice verſa*. A ſudore.

Quae jam a nobis ſunt prolata, neceſſaria duxi ad criſiôn *cauſam* intelligendam; omnibuſque praecedentibus ritè perpenſis, naturam humoreſque criſium eſſe *cauſam* liquido conſtabit. Criſiôn cauſa.

CAP. II. SECT. I.

De diebus decretoriis, provocatoriis, indicatoriiſque.

Dierum quoniam hiſtoria criticorum, ad criſin ipſam omnino ſpectat; quaedam itaque de iis proferre debemus: καὶ γὰρ ἀδύνατον ἐςί, inquit Galenus, περὶ κρίσιμων ἡμερων ἐπιχειρήσαντα τι διερχεσθαι, μη καὶ

(*p*) In l. c. p. 40. lin. 30. et ſeq. edit. Foeſ.
(*q*) De urinis et pulſibus.

περὶ

περὶ κρίσεως εἰπεῖν τι, ἢ καὶ περὶ κρίσεως διδάσκοντα, μὴ καὶ περὶ κρισίμων ἡμερῶν διελθεῖν (r). Seni idcirco obtemperare paratus, ſicco, ut aiunt, pede, rem hanc ſane arduam percurrere coner, ſuis Hippocratiſque veſtigiis praecipue inſiſtens.

Omnibus criſes diebus contingunt.

CRISES accidere omni tempore morbi, uterque agnoſcunt; inquit enim GALENUS, Αἱ γὰρ δὴ κρίσεις αὗται γίνονται μὲν ἐν πάσαις ἡμέραις, ἀλλ᾽ οὔτ᾽ ἴσαις τὸν ἀριθμὸν, οὔθ᾽ ὁμοίως πισταῖς (s). Notatione attamen ſollicita iſtorum, quotidie quae aegroto contigerunt; inſignes illas mutationes criſin quae praecedunt, comitantur vel ſequuntur, didicerunt veteres, hoc vel illo die plerumque evenire; imo iiſdem numero diebus; et hoc plurium aegrorum ad lectos confirmato, dies iſtos *decretorios*, *judicatorios*, ſive *criticos*, vocaverunt: ut crevit illorum experientia, quaſdam horumce dierum differentias detexerunt; adeo ut quidam brevi inſignes facti fuerunt ob criſes bonas, alii ob malas; et hoc οὔθ᾽ ὁμοίως πισταῖς exponit.

ETSI vero criſes, per totum morbi decurſum, accidere, concedit GALENUS; tamen ſe in duodecimo et decimo ſexto die, nullum unquam ju-

(r) De dieb. decret. lib. 3. cap. 8.
(s) Ibid. lib. 1. cap. 2.

dicatum

dicatum vidiſſe, dicit: *κατὰ τὴν δωδεκάτην μὲν γὰρ καὶ ἑκκαιδεκάτην, ἐγὼ μὲν ὐδένα ποτε γινώσκω κριθέντα, κατα δὲ την ἑϐδόμην, ὐδ᾽ αριθμεῖν ετι ἐγχορει. κατα δε την εκτην, κρίνονται μὲν αλλὰ καὶ μετὰ χαλεπῶν συμπτομάτων καὶ κινδύνων μεγιςων, καὶ απίςως, καὶ ατελως, καὶ ασαφως, καὶ ασήμως, καὶ προς κακυ* (t). Unde diſcimus *criſes* pene innumeras ſeptimo die contigiſſe, morboſque equidem ſextum judicaſſe, at ſymptomatibus cum difficilibus et periculo maximo. Hinc jure Galenus hunc diem, tyranno ſubditorum ſanguine gaudenti, confert; regi optimo, vero ſeptimum (*u*). Alibi de ſexto inquit, *κρίνει μὲν γὰρ πολλάκις, ἀλλ᾽ ἐπιϐύλως τε καὶ πονηρως*; et denuo, *κακην αν ειποιμι κρίσιμον ειναι τὴν ἕκτην ἡμέραν, ὥσπερ τὴν ἑϐδόμην ἀγαθὴν* (*x*). Quae abunde monſtrant, ſeptimum Galeno certum eſſe felicemque decretorium, ſextum, abſque fide et infauſtum: huic octavus, decimus, decimuſque nonus ſunt aſſimiles, at forſan tutiores: quoad decimum tertium, quidam ancipitem eſſe, et inter bonos quaſi maloſque poſitum, volunt. Hucuſque de diebus

Duodecimus et decimus ſextus nunquam juxta Galenum judicant.

(*t*) Loc. cit. (*u*) Ibid. lib. 1. cap. 4.
(*x*) Ibid. Charter. tom. 8. p. 456.

non

non abſolute decretoriis occupati ſumus; ad veros *judicatorios* jam jam animadvertendum. Hi quaternario et ſeptenario circuitu definiuntur, ſuntque quartus, ſeptimus, undecimus, decimus quartus, decimus ſeptimus, vigeſimus, quartus et vigeſimus, vigeſimus ſeptimus, trigeſimus et quartus, quadrageſimus; qui prae reliquis critici ſunt vocandi; cum omnes alios, dignitate, efficacia, et ſecuritate, antecellunt: neque tantum, ut recte monet nobil. VAN. SWIETEN, notari merentur, quia toties inſignis in his fit ad ſanitatem converſio; ſed etiam, quia morbis in accutiſſimis, aegri in eiſdem moriuntur, aut in pejus labuntur.

Dies veri decretorii.

Ex antedictis jam patet, omnes, quos primus vicenarius complectitur, acutum morbum, impares dies, judicare poſſe; etſi omnes, non aequali potentia, ut mox apparebit. Vicenario primo praecipue fuerit morbus, poſtea vero remittitur, miteſcitque; unde in ſecundo vicenario, nulli vix dies, praeter ſeptenarios dictos, (cujuſmodi ſunt vigeſimus ſeptimus, trigeſimus quartus, et quadrageſimus), aliquid judicant: quadrageſimum vero, morbi, qui ſuperant, prorſus langueſcunt; potiuſque *abſceſſu*, critica quam evacuatione manifeſta, finiunt: et ex hoc ratio eſt elicienda, cur, poſt quadrageſimum, dies ſucceſſuros,

ſuros, vicenario tantum circuitu, numeravere veteres; nam ſexageſimus, octogeſimus, centeſimus, centeſimus et vigeſimus, HIPPOCRATI fuerunt decretorii; plurimaque, in his judicatorum morborum, ſuis in epidemicis, adducit exempla; quae hic loci enarrarem, niſi ſermo in longum proveheretur.

NOTITIA dignum videtur, criticis diebus omnibus vim non eandem ineſſe; *ſeptenarii* etenim in univerſum ſunt efficaciſſimi; locum deinde his ſecundum occupant *quaternarii.* Primum itidem inter priores, eſt ſeptimus dies; unde GALENUS, τὰ πολλὰ μὲν ἓν ἀγαθαὶ κρίσεις αἱ κατὰ τὴν ἑϐδόμην ἡμέραν (y). Septimo, proxime dignitate, accedit decimus quartus (z). Dies quartus, undecimus, decimus ſeptimus, *quaternariorum* ſub titulo continentur.

Vis non eadem eſt judicandi omnibus in diebus decretoriis.

PRAETERQUAM vero dies, ſupra ut *veros decretorios* notatos, adſunt et alii, qui pro criticis inferioris ordinis habentur; et in quibus equidem criſes eveniunt, ſed rarius et minus tu-

(y) De dieb. decretor. lib. 1. cap. 4. Charter. tom. 8. p. 455.

(z) Medium cujuſque ſeptimanae diem, quartum nempe et ultimum, ſive ſeptimum, maxime inter omnes notatu dignos habuiſſe videtur Hippocrates. Vid. aphor. 24. ſect. 2. et in prog. Charter. tom. 8. p. 664.

Dies coincidentes ſeu provocatorii.

to: a GALENO nuncupantur *coincidentes*, παρεμπιπτȣσας ἡμερας, aliis *provocatorii* dicti, quoniam in iſtis, vel ex accidenti et contra naturam, aut ob paroxyſmi, exacerbationiſque vim, vel ob cauſam externam, *natura* provocatur, ut ad intempeſtivam expulſionem *materiae peccantis* ſeſe accingat; vel in quibus, ob errorem aliquem, criſis differtur, vel, ob naturae imbecillitatem, anticipat aut poſtponit. Hujuſmodi ſunt dies tertius, quintus, nonus, decimus tertius, nonnullique addunt quindecimum et decimum octavum. Tuto nunc libet aſſeverare, hos dies non ex ſua natura judicare; ſed requiri aliud quid, quod cum illis *coincideret*, ut v. g. acceſſio valida, error in dieta, *&c.*

Febris principium ſumma cautela notandum eſt.

DIES, hactenus, critici qui videntur veteribus, enarrare conati ſumus; adeo ut ſolum nunc obſervandum ſupereſt, dierum computationem decretoriorum rite ut inſtituamus, ſumma notare cautela debemus, horam qua incipit febris, vel, uti docet BOERHAAVIUS, ubi primum frigoris, concuſſionis, horripulationiſque ſenſus, aegrotantem invadunt (*a*). Namque ſi primum medicus diem ignorabat, nullo modo cognitum

(*a*) Aphor. de cog. et curand. morbis, § 575.

habere

habere poteſt, quis quartus, quis ſeptimus ſit *(b)*.

Dierum indicatoriorum ratio.

Argumentum noſtrum, de diebus criticis, tandem abſolviſſe videor; ni adhuc etiam mihi incubuiſſe cenſerem, criſis quomodo futura praenoſcenda, ex diebus praecedentibus, dicere: hoc eſt, rationem dierum *indicatoriorum* reddere: a primo itaque morbi die initium faciam; quo, ſi notae *coctionis* nonnullae appareant, morbus quartum vix attingere poteſt. Prognoſis haecce, ex Hippocrate ſumpta (*c*), febribus mitiſſimis convenit. Febres autem malignae, quae ſignis cum atrociſſimis incedunt, eodem die vel ante interimunt; morbus vero, ſi citra quartum ſeſe porrecturus videtur, opus eſt ſumma tunc vigilantia, ut detegamus an bona ſigna, an his contraria, hocce die, ſciz. quarto, in conſpectum veniunt: quartum etenim, nemine con. pro *indice* ſeptimus habet; futura ſeptimo nimirum

(b) Morborum inſultus ſic diviſit Hippocrates; ad quartum pervenire diem, morbos, ſcribit, atrociſſimos: inſultum autem ſecundum ad ſeptimum extendi, ad undecimum tertium, ſextum denique non ad vigeſimum primum, ſed ad vigeſimum tantum perducit; nam diem ſecundae ſeptimanae ultimum, pro primo dabat tertio, et decimum ſeptimum ab undecimo ſeptimum facit. Unde patet trium ſeptimanarum ſpatium, ne plus quam diebus viginti, ſecundum Hippocratis computandi rationem, complere.

(c) In prog. Charter. tom. 8. p. 664.

 indicante

indicante quarto; adeoque, ſi benigna, in iſto die, indicia morbum comitarentur, ad melius mutationem ſeptimo ſperare poſſumus, et *vice verſa*: quamobrem eum *contemplatorium* (θεωρητον) vocat HIPPOCATES; et, juxta GALENUM, ἡ τετάρτη πάντως προδηλοῖ τὴν ἑβδόμην; qui denuo ſic loquitur, ἔπεὶ τοι τῆς τετάρτης ἐναργές σημεῖον ενεγκεύσης κριτικὸν, ει μηθ᾽ ὁ ἰατρὸς αμάρτοι τι, μηθ᾽ ὁ κάμνων, μήτε των ὑπηρετεμένων μηδεὶς, ἀλλὰ μηδε των ἔξωθέν τι πλημμεληθείη, κατὰ τὴν ἑβδόμην ἡμεραν ἐξ ανάγκης ἡ κρίσις απαντήσεται (*d*). Sufficiat hoc noſtri tam aſſerti veritatem probare, ſummam quam cutelam monſtrare veterum obſervationibus colligendis. Potentia dierum *indicatoriorum* alia minimè deſint documenta, paſſim apud HIPPOCRATIS GALENIque opera nobis occurrent, quae, mei ob anguſtias temporis, lectori relegare velim: et ne diutius in hocce maneam, quartum jam dicam ſeptimo eſſe *indicem*; undecimo, ſeptimum, quod et ipſe dies eſt decretorius; decimo quarto, undecimum, et ſic porro: *indicantibus quaternariis*, *ſeptenariis* plerumque *judicantibus*.

Contemplatorii interdum vocati fuerunt.

Qui dies ſub hiſce titulis comprehenduntur.

(*d*) De dieb. decretor. lib. 1. cap. 11.

HAEC,

Haec, quae ex antiquorum ſcriptis colligere potui, et quamvis ab experimentis ſemper ferme loquebantur, quoſdam nihilominus extitiſſe videntur, qui illorum ſententias de *diebus decretoriis* omnino repudiaverunt; at majore, ni fallor, quam par fuit temeritate: prolata enim medicorum a parente nullo modo rejicienda ſunt, ni gravis eorundem, ſeveraque ſcrutela ſit praemiſſa: *fidei plenus ſenex* res factas ubique narrat, nullo ratiocinandi, potiuſve ſophiſticandi, pruritu imbutus, vel ut optime teſtatur Galenus, *ἐςι δ᾽ οἶδε τὸν Ἱπποκρὰτην μόνον ἀποφαίνεσθαι τὸ πλεισάκις ὀφθὲν, εν ὐδενὶ λὸγω τὸ πὰνιον τιθέμενον* (e). Ab experimentis ſolum eſt igitur refellendus; at ubinam invenientur experimenta in illa Hippocratis adducenda? a quibus denegata fuit illius opinio? apud quos recepta fuiſſet? Tres hae ſunt quaeſtiones, quae, ſi ſcite fuerint docteque enodatae, brevi, ut opinor, omnes de diebus criticis ceſſarent cavillationes, futuraeque nunquam proderent: multum me equidem piget, mihi non ineſſe tantas componere lites; junioribus attamen neceſſario multa deerint; his autem non obſtantibus, aequum eſt, ut prò virili nitar, praeeuntem, de *criſibus* et *diebus decretoriis*, doctrinam propugnare.

Quidam veterum ſententias de diebus decretoriis temere repudiaverunt

Hippocratis opera propugnantur.

(e) De dieb. decretor. l. 3.

SECT.

SECT. II.

Argumenta quaedam contra criſium dierumque decretororium deriſores.

Quidam ex ignoratione veterum decepti fuerunt.

QUIDAM fuerunt medici, quibus non bene ſcripta innotuerunt HIPPOCRATIS; et exinde, cum forte videbant quoſdam aegros, una pro vice judicatos, recidivas iterum pati, et periculoſe diu cum morbo conflictari, criſeſque tales iteratas, eundem ordinem tantamque ſimplicitatem ſemper non ſervare; tunc negligere, imo contemnere totum ut inane, *auſi* fuerunt; dum clarior horumce ſcriptorum cognitio, illos in viam accerſeret quae ad veritatem ducit; de recidivis etenim in morbis, etiam poſt *criſes factas*, non tantum a veteribus moniti ſumus; at nobis regulas praeſcribunt, quibus poſſumus illas praecognoſcere. Hoc ut probaret nobiliſſ. VAN SWIETEN, inſigne ab HIPPOCRATE adducit exemplum, et dein agnoſcit ſe bis morbo in eodem erraſſe, nullam aliam ob cauſam, quam quod veterum axiomatum immemor fuiſſet. Hiſtoria, quam enarrat, attente perlegi meretur; nam nobile praeſtat ſpecimen, ſummi tum candoris viri, tum illorum quae de *criſibus* ab antiquis memorantur *(f)*.

(f) Comment. in aphor. de cog. et curand. morb. tom. 2. p. 56.

MORBI

Morbi ſane quidam exiſtunt, peſſimi nempe, quibus ſic omnia turbantur, ut nil ordinati in eorum decurſu detegere licet; natura, enim vi devicta, cito ſeriuſve ſuccumbit. Omnibus at in morbis, *criſes* non contingere, ipſi confitentur veteres: ſic Hippocrates, de febribus ardentibus epidemice graſſantibus, ſcribit, ὀῦρα πολλὰ, λεπτὰ, οὐδὲ χρηστὸν οὐδὲν ἔχοντα. οὐδὲ ἄλλο κρίσιμον οὐδὲν τοῖσιν οὕτως ἔχουσιν ἐγένετο, οὔτε γὰρ αἱμοῤῥάγει καλῶς, οὔτε τὶς ἄλλη τῶν εἰθεσμένων ἀπόστασις ἐγένετο κρίσιμος. ἔθνησκόν τε ἕκαστος, ὡς τύχοι πεπλανημένως τὰ πολλὰ, περὶ τὰς κρίσιας (g). Scribit et *Anglicanus noſter* Hippocrates, "dari nempe quaſdam febrium ſpecies, quas natura methodo ſibi peculiari, ſine viſibili aliqua evacuatione, ablegat, reducendo, ſciz. in ſanguinis maſſam, illique aſſimilando materiam illam morbificam, quae cum eo minus quadrabat (h)." In his cum itaque morbis, criſes et exinde nulli dies critici obſervari poſſint, an ideo concludendum nullas unquam fuiſſe *criſes*, *criticoſve dies*? talis certe concluſio ad ſummum eſſet abſurda.

Itidem objiciat aliquis hodiernos morbos abſque criſi, vel ſaltem nullis decretoriorum dierum

(g) Epid. lib. 3. p. 1085. edit. Foeſ.

(h) Sydenham, oper. ſect. 5. cap. 2. p. 284. vid. et ſupra, p. 12.

Hippocratis

Hippocratis terminari: haec autem ex toto *prava* eſſet: plurimis etenim a recentioribus, maximique in hoc ponderis auctoribus, *criſes* ſolennibus propriiſque diebus evenire videbantur, uti mox apparebit. Egomet etiam vidi et demonſtratum habui a cel. Monro Patre, in *noſocomio regio Edinenſi*, plures caſus, exitum qui per *criſes ſat manifeſtas* habebant; quae ſat fuſe demonſtrant, criſes etiam noſtra Boreali regione obtinere. Inficias equidem ire nequeo, rariores, minuſque perfectas *criſes*, hic loci evenire quam apud *Graecos*. Huic ſubſcribit vir celeb. Georgius Baglivius, "In frigidis, paludoſis, et ſeptentrionalibus regionibus, raro criſes perfectae obſervantur, ut *Germani*, aliarumque regionum frigidarum abunde teſtantur medici *(i)*." Et huic quoque aſſentiebat eruditiſſ. Fredericus Hoffmannus, cum criſes certiſſimas maximeque fideles, ſe ſub coelum ſudum atque ſerenum obſervaſſe fatetur: ſic enim loquitur: "Neque dubitari poteſt in regionibus calidioribus, inque aëre tenuiori et humores eſſe fluxiliores et mobiliores, et corpora ad tranſpirationem magis apta; hinc criſes et criticas acutorum ſolutiones, plus in iis obſervari, quam in regionibus humidioribus *(k)*." Waldschmidius *(l)*, Eusta-

Multi hodiernorum morborum per criſes manifeſtas ſuos exitus habent.

Criſes frequentiores perfectioreſque apud Graecos quam in noſtra regione contigerunt.

(i) Prax. med. l. 2. p. 234.
(k) De criſium natura, tom. 6. p. 278.
(l) Fundament. med. p. 113.

DIUS

DIUS (*m*), HOLLERIUS (*n*), CASPARUS HOFFMANNUS (*o*), aliique, eidem ſententiae ſuos premebant pollices.

Etsi vero *regioni aërique* ſit multum tribuendum, ex alio attamen fonte criſium cauſam rariorum haurire poſſumus. Nuperiores etenim medici methodum quam diſſimilem ſecuti fuerunt, ab iſta quae fuit HIPPOCRATI! Vir ille *ſagaciſſimus*, naturam tanquam optimum ducem ſequebatur, illaque commonſtrante viam, morborum curationem ſuſcepit. Quam divine ſibi hoc pro indice poſuit, *nunquam turbare naturam!* Ne plura, methodum quam tenebat, aphoriſmo ſuo vigeſimo et ſectionis (primae ſciz.) uſque ad hujuſce finem, graphice depinxit; huncque *theſaurum* iſto in *aureo* libello contentum, noſtri *Herculei* medici inſpiciant, *erubeſcant*.

Criſium rariorum apud nos alia praeter aërem regioniſque differentias cauſa adducenda, nempe, methodus Herculea, quam aſſequebantur recentiores medici.

Si minus, cauſarum morbificarum *a priori* inveſtigationi, medici practici ſeſe dederint, et majorem navarint operam obſervationibus colligendis, cui in totum conſueti fuerunt veteres, praxis medica brevi multo certior evaderet; at ſemper actuoſi omnia turbant, et naturam huic vel iſti hypotheſi obtemperare faciunt; tam irrequietam! tam prurientem mentem! nacti ſint homines.

Omnes vires ad obſervationes veras colligendas impendere debemus.

(*m*) De die. aſtronom.

(*n*) Comment. in aphor. Hip.

(*o*) Inſtit. med. p. 620.

F Quamvis,

Quamvis, ab aevo quo vixit Hippocrates, magnum medicina ſibi ſumpſit incrementum, *ex anatomia, chemia, mechaniciſque*, dolendum tamen his ſpurias tam plurimas naſci proles: ſi res aliter fuiſſet, quae ſequuntur, locum, in libris multorum recentiorum de febribus, nunquam obtinerent. *Minera morbi eſt eradicanda*; *furor Archaei* (riſum teneatis amici) *eſt ſedandus*; *materies maligna, diaphoreticis, ad corporis ſuperficiem eſt pellenda*; *aciditas, medicamentis aromaticis, ſaleque volatili praeditis, eſt corrigenda.* Mille legenti alia ſimilia occurrent, quae repetere nefas duco, abſurditatibus tam multum turgeſcunt! Unde igitur mirandum, criſes talibus non occurrere ut olim? Huic profecto Baglivius rationem ſcite reddidit, cum de hiſce *delirantibus Herculeiſque* medicis dixit: "Siquidem illi Graecarum legum vel *ignari* vel obtrectatores, a principio morbi, ad declinationem uſque, purgantibus, diaphoreticis, phlebotomicis, ſpirituoſis, aliiſque imprudenter et intempeſtive exhibitis medicamentis, fere conficiunt aegrotantem; ideo impoſſibile eſt, ut humores, per tam diverſas remediorum ſeditiones diſtracti, ad criticae deſpumationis negotium ſtato tempore diſponantur *(p)*." At ipſius ne vel *Herculis* robore debellanda eſt natura; nonnullaſque febres, quantacunque contra eas adhi-

Criſium deriſores ſcite ſane a Baglivio reprehenduntur.

(p) Prax. med. lib. 2. p. 232. et ſeq.

bita

bita fuerunt remedia, ſuum prorſus ad ſtatum perducit, humores peccantes *concoquens* atque *depurans.*

Quodammodo jam probatum ſit, aliorum tam ab experimentis obſervationibus, quam a propriis, *criſes* hiſce etiam borealibus plagis minime repugnare: hoc citra dubium collocant ſtabiliuntque, doctiſſimorum aevi recentioris medicorum teſtimonia ſequentia, qua in criſium deriſores totidem *crucis* ſunt argumenta.

Crucis argumenta in criſium deriſores ab Hoffmanno ſumpta.

Cel. Fredericus Hoffmannus, quadraginta ex annorum praxi luculenta, ſemper compertum habebat, febres ab antiquis *ephemeras* dictas, quatuor et viginti horarum ſpatio terminari: *ſynocham* quarto vel ſeptimo die, fluxui e naribus ſanguinis, vel ſudori largo, plerumque cedere: *pleuritidem veram et peripneumoniam leviorem*, materiae ejectione per tuſſim cruentae, quartum circa diem mitiores reddi; ad ſeptimum vero ſolvi, largo cum ſudore, liberioreque ſcreatu; extendi vero *graviorem* ad decimum quartum diem, et tunc vel ſolvi eaſdem per excretiones, vel in *empyema* mutari: *ventriculi eryſipelatem* per os aut per anum evacuatione, ſudore quoque, vel quarto vel denique ſeptimo die dimitti: *hepatitem* ſeptimo, undecimo, vel decimo quarto die, partim ſudore, alvi partim profluvio,

fluvio, exſolvi: *ardentes febres* plerumque ſeptimo aut decimo quarto die, ſudore dejectioneve alvi majore, ſuum obire decurſum: *peſtem*, ni funeſtum ſortiatur exitum, quarto, ſeptimo, vel undecimo truculentiam ſuam abjicere: *petechiales* et febrium pleraſque continuarum, ſeptimo, undecimo, vel decimo quarto die, ut plurimum judicari. Haec HOFFMANNUS; et huic ſuffragatur cel. BAGLIVIUS. Nobil. BARO toties laudatus ſumma cum animi quoque oblectatione vidit, ſuis omnino obſervationibus conſentanea eſſe quae memoriae tradiderunt veteres. Biennium medicum expertiſſimi D. STORCK multis ab aegrotis pulchre quae jam praemiſſa confirmat. Doct. quoque MARTINUS, tentamine ſuo *de criſibus periodiſque morborum*, alia documenta plurima, ad hunc finem ſpectantia, collegit ac in ordinem redegit; haecque praeſertim conſulant, qui plura de hac re deſiderant. Auctoritatem adhuc reſtat dare, quae plus fere valet omnibus modo citatis. Unicuique patet, me BOERHAAVIUM, magnum illum medicinae inſtauratorem, velle, qui criſes ſemper criticos atque dies reſpiciebat. Horumque teſtimonia peritiſſimorum virorum ſatis ſuperque ſufficiant, doctrinam ſupra traditam ſtabilire; adeo ut nullis aliis in poſterum indigere videtur.

His ſuffragantur Baglivius, Van Swieten, Storck, Martinus, et Boerhaavius.

MIROR

Aſclepiades atque Celſus veterum de diebus decretoriis ſententias temere redarguerunt.

MIROR equidem qua de cauſa ASCLEPIADES atque CELSUS veterum criticis de diebus ſententias redarguunt. "Eſt," inquit *Celſus*, "de diebus dubitatio, quoniam antiqui potiſſimum impares ſequebantur, eoſque, tanquam tunc de aegris judicaretur, κρίσιμȣς nominabant;" et poſtea, "Id ASCLEPIADES jure ut vanum repudiavit;" et ſubinde concludit, antiquos in his, numeris a Pythagoricis, falli *(q)*. At quam temere, liquet ex antedictis: et unicuique etiam, veterum medicorum ſcripta attente legenti, conſtabit, illos dies minime ſtatuiſſe decretorios quia *pares impareſve* fuerunt, ſed quia experientia fidiſſimiſque obſervationibus, rem ſeſe non aliter habere, didicerunt. In hoc vero CELSUM ſuus fefellit animus, contraria quod putavit ſcripſiſſe HIPPOCRATEM; et revera confitendum, nos hodie in aphor 4. 36. diem vigeſimum primum decretorium eſſe legere *(r)*. Hoc autem ſane, viros ſecundum doctiſſimos, notariorum errori tribuendum. Vigeſimum legit GALENUS, et veriſſimè quidem, ut, ex viginti ferme annorum in *Belgio* praxi, ſibi compertum habuit ill. DE HAEN *(s)*. Sed ut huic finem imponerem; o-

Celſi error detegitur.

(q) Lib. 3. cap. 4.

(r) Vid. ſupra p. 31. not. z.

(s) Ratio medendi, cap. 4. p. 21.

mnia

mnia argumenta, quibus ſuſtentari poſſit *doctrina Hippocratica*, tam breviter quam in me fuit enarravi ; et a pauciſſimis ſolummodo *magni nominis* hominibus, ſententias de criſibus, &c. rejici veterum clarè comprobavimus : haec ex neceſſe capitulum hocce in nimium extumeſcebant, quod vero minime praecaveri poſſe omnes ſpero in confeſſo habere. Mei equidem non poeniteat laboris, ſi vel etiam ſymbolam ad prognoſes medicas recte faciendas contulerit.

Tantum nunc mihi rogare ſupereſt, cur proficiſci, quo iverunt peritiſſimi in omni ſcientia, virique fidiſſimi, renueremus ? et ſi praeeuntibus, non obſtante, hominibus tam digniſſimis ; adhuc reſtaret aliquis qui ſequi recuſaret, illum quid nos cogitare vetaret,

In terra vervecum craſſoque ſub aëre naſci ?

CAP. III. SECT. I.

De ſignis criſium in genere.

CUM *criſes*, hoc eſt, evacuationes criticae, aut abſceſſus, ſummi in praxi medica ſint momenti ; nos itaque decet, omnibus niti viribus, ne *criſis* impediatur inſtans, vel tardetur ; aut perturbatio, qua *criſes* praecedi ſolent, ita augeatur

augeatur ut imminentis faciat periculum mortis: *hoc eſt opus, haec cura medici.* Hinc jure conqueritur Galenus, quoſdam fuiſſe ſibi coaetaneos, qui, ad aegroti lectum delati, putabant ſe non ex arte procedere niſi cum cataplaſma impoſuerint, aut clyſma injecerint, vel venam ſecaverint, aut aliud hujuſmodi factitaverint: hos vero inquit medicos toties *peccare* quoties ad aegrum accedebant. Errores tales vitare, veri eſt officium medici; adeoque *ſignorum* cum notitia, quibus praemonſtrantur *criſes*, ad hunc praecipue finem ſpectat, haec idcirco qualia ſunt dicere convenit.

Partes quae ſcrutandae ut ſigna criſis occurrantur.

Partes quas ſcrutandas ut *criſiôs ſigna* occurremus, probe Galenus hiſce indicat in verbis. *πάντως γὰρ τι νεωτερίζεται μελλούσης κρίσεως, ἢ κατὰ τὴν ἀναπνοὴν, ἢ κατὰ τὴν διάνοιαν, ἢ τὴν ακοὴν, ἢ τὴν ὄψιν, ἢ τὴν εὐφορίαν* (*t*). Quam rite methodum hanc inſtituit, confeſtim oſtendemus. Quid ad *criſium* praenotionem dies faciunt *indicatorii*, ſupra dictum fuit; at hoc forſan melius intelligetur verbis ex Hippocratis, *ὁκόσοισιν ἑβδομαῖα κρίνεται, τούτοισιν ἐπινέφελον ἴσχει τὸ οὖρον, τῇ τετάρτῃ ἐρυθρὸν, καὶ τ᾽ ἄλλα κατὰ λόγον* (*u*). Idem quoque innuiſſe videtur Galenus, his quae ſequuntur, *ἤτοι γὰρ των οὔρων*

(*t*) De criſib. lib. 3. cap. 10. (*u*) Sect. 4. aphor. 71.

τις,

Unum ſignum hauriatur a die praecedente indicatorio.

τις, ἐν ἐκείνῃ (ſciz. quarto) πάντως, ἢ των πτυσμάτων, ἢ των διαχωρημάτων, ἢ ὀρέξεως, ἢ νοήσεως, ἢ αἰσθήσεως, ἢ τινος ἄλλȣ τοιούτȣ, σαφὴς εγένετο μεταβολὴ, καὶ τῆδε τη μεταβολῆ, το μὴ οὐκ ὁμοίαν ἀπαντῆσαι την εν τῆ ἑϐδόμῃ κρίσιν αμήχανον (x). Satis ſuperque ſufficiant haecce quae de vi diximus *dierum indicatoriorum* ſtabilire; ſed *criſin* ut propius *ſignis* aſſequamur, illam praeire ſemper perturbationes non mediocres, ſaepius dictum fuit, et hae, juxta medicorum ROMULUM, nocte criſin praecedente eveniunt, vel, ut ipſe dicit, ὁκόσοισι κρίσις γίνεται, τȣτέοισιν ἡ νὺξ δύσφορος, ἡ πρὸ τȣ̃ παροξυσμȣ̃, ἡ δὲ επιȣ̃σα, ευφορωτέρη ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ (y); idem quoque de die fiet, ſi morbus nocte ſit judicandus ſubſecutura. Signa *criſiôn* alia in verbis veterum dare, hanc ultra limites diſſertationis academicae porrigeret; ob id igitur illa quantum valeo paucis complecti enitar.

Ex perturbationibus aliud.

Signorum omnium enumeratio.

INCIPIT febris, exacerbatur; ulla vix corporis functio immunis manet; omnia mirifice turbantur; ſuccedunt denique futuri ſymptomata *criſis*, ut delirium; ſtupor; ſopor; ſomnolentia; vertigo; oblivio; ſenſuum error inuſitatus; capitis, cervicis, ſtomachi, praecordiorum, aliarum-

(x) De dieb. decret. lib. 1. cap. 4. Charter. tom. 8. p. 455.

(y) Sect. 2. aphor. 13.

que

que partium, dolores inſignes; dyſpnoea; rigor. Ad haec, aurium tinnitus; ſplendores in oculis; ſpontaneae lacrymae; labri inferioris tremor; frequens nauſea; multus aeſtus; ſitis ſolito major; pulſus inordinatus, inaequalis atque *(z)*; hypochondriorum retractio; et alvi inſueta murmura *(a)*. Dum haec geruntur, clamat aeger; furentem pene agit; angitur; ſeſe varie jactat; et lecto aliquando cohiberi reſpuit. Haec ſunt omnia ſymptomata, quibus vehementer ante *criſes* ſolent corpora conturbari; eundem ab omnibus ſimul et ſemel fatigari aegrotum, nemo exiſtimet, quum vix ac ne vix quidem duraret vita, tot aerumnis tantiſque gravata: omnia retuli; at haemorrhagiae quaedam pertinent, vomitui alia, quaedam ſudoribus, alvi quaedam dejectionibus, et ſic porro: unicuique autem propria mox dicemus. Haec de *criſium ſignis* in genere. De hiſce jam proxime dicendum, quibus ab optima futura, dignoſci poteſt bona imperfecta; et ab utriſque itidem peſſima.

(z) Pulſuum mutationes alias notabiles poſthac dicemus.

(a) Summa opus eſt cautela, ut rite diſcamus ſymptomata quae criſi futurae ſunt propria, et quae morbo ingraveſcenti.

SECT. II.

De ſignis quibus optimae, malae, peſſimaeque criſes praenoſcantur.

DE futuro *criſium* exitu in genere innuere oportet, *ſigna* ſupra enarrata, ſi poſt concoctionem et morbi circa ſtatum conſpecta fuerint, aegro ſalutem promittere, et *vice verſa*. *Criſis optima* excretionem naturae morbi conſentaneam, die vero decretorio factam, ſemper habere debet: ſic, v. g. in febre ardente, pleno e naribus rivo, die quarto aut ſeptimo ſaltem, erumpere ſanguinem oportet; praeſertim vero ſi aeſtuat anni tempus, vel calidae ſit regio temperiei, floreatve juventus: febres e contrario peſtiferas, *diarrhoea* ſaepius terminari olim notavit GALENUS *(b)*; et hoc recentiorum quoque ab auctoritate et experientia ſatis comprobatur. Cel. HOFFMANNUS, ex praxi quinquaginta et aliquot annorum, confirmatum habuit, *febres petechiales* rarius ſolo ſudore et haemorrhagia, ſed frequentius per diarrhoeam, ſeptimo, nono, aut undecimo die erumpentem, ſolutas fuiſſe *(c)*. GERARDUS COLUMBA ab experientia diſcebat, " omnes quibus

Criſis optimae ſigna.

Per diverſas criticas evacuationes diverſi morbi finiuntur.

(b) Lib. de atr. bil. cap. 4. *(c)* De febrib. petech.

alvus

alvus copioſe ejecit, licet cum ſignis cruditatis fuerit, tandem liberari. Procedente enim alvi fluore, indies coctionis ſigna ſuperveniebant, morbus evadebat clementior, et tandem alvi fluore perſeverante, fideliter et integre aegri judicabantur *(d)*." Stabiliverunt et idem Valeriola *(e)*, Schenckius *(f)*, Riverius *(g)*, et alii quos nunc dicere longum foret. Nobis jam aſſerere liceat, haecce teſtimonia pulchre iſtius, quod Hippocrates ſuis in *aphoriſmis* protulit, veritatem declarare, *ἃ δεῖ ἄγειν ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων (h)*. Ab hujuſmodi *criſibus* ſalus certe perpetuo praedicatur, has enim ſemper ſequuntur nox pacatior, et coloratior aegroto vultus; robuſtior fit quoque, illiuſque pulſus aequabilior ordinatiorque evadit; in melius denique verti, omnia *criſium* prius enarrata ſymptomata incipiunt.

Criſis optima certam ſalutem aegro promittit.

Haec de *criſibus* felicem eventum habentibus; et horum proſtant plurima, apud Hippocratis libros *de morbis vulgaribus*, exempla, praeſertim *aegri* in Dealcis horto decumbentis *(i)*, *Ni-*

(d) De febrib. peſtilent. p. 231.

(e) Obſervat. lib. 6. de febrib.

(f) Obſervat. de febrib. lib. 6.

(g) Obſervat. cent. 1. obſ. 47. et 57. Item cent. 2. obſ. 34. et 87.

(h) Lib. 1. § 21. *(i)* Hip. epidem. lib. 3. § 1. aegr. 1.

codemi (*k*), *Periclis* (*l*), *Anaxionis* (*m*), et *Herophiti* (*n*), in hiſtoriis.

Bonae imperfectae ſigna.

Alias attamen ſunt praeterea *criſes*, quibus omnino fidere medici minime debent; nam neque certae neque fideles ſunt, bonum quamvis plerumque exitum habent; non in ſtatu morbi, ſed in ejuſdem incremento; non in diebus *criticis* optimis, at in *coincidentibus* vel *provocatoriis* eveniunt: naturae morbi; aegrotantis aetati, temperiei; anni tempeſtati; locoque aut regioni, non in toto congruunt evacuationes in his factae: etſi vero plura bona praeceſſerint, ſi aegroti nullum *criſi* ſubſequenti levamen percipiant, et in melius nulla mutatio pulſuum appareat; talis tunc *criſis* de eventu locus eſt pro certo dubitandi: veriſimile eſt etenim *illam*, recidivis multiſque laboribus, morbum judicaturum. Interdum ſane etſi *concoctio* non ex toto ſit perfecta, imo in initio ubi nulla *coctionis* ſigna conſpecta fuerint, *criſes* nihilominus ſat ſalutares contigerunt; praeſertim vero, ſi, per largam e naribus eruptionem ſanguinis, judicarent; *imperfectae* ſane hae ſunt, at *imperfectarum* optimae; taleſque *Pericli* (*o*), *virgini Abderae* (*p*), atque *Me-*

Criſis imperfecta plerumque in diebus coincidentibus evenit.

(*k*) Hippoc. epidem. lib. 3. ſect. 2. aegr. 10.
(*l*) Ibid. aegr. 6. (*m*) Ibid. aegr. 8. (*n*) Ibid. aegr. 9.
(*o*) Ibid. aegr. 6. p. 1102. edit. Foeſ.
(*p*) Ibid. aegr. 7. p. 1103.

toni

toni (q) criſes fuerunt. Hucuſque quomodo *criſes bonae optimae* praenoſcendae, dicere conati ſumus; nunc ad *exitiales infauſtaſque* noſmet ipſos convertemur.

Pesſima criſis quomodo praenoſcitur.

HAE ſignis dignoſcuntur, iſtis criſium optimarum omnino oppoſitis; morbi enim in principio, vigente adhuc *cruditate*, quo tempore, uti monet ALPINUS *(r)*, natura quicquam boni nunquam excernit, *diebuſque decretoriis* apparent. Materiae indoles excretae, peſſima videtur; naturae morbi, &c. minime reſpondens; uti, v. g. urina nigra, craſſa, malique odoris; ſudor intempeſtivus, frigidus atque; e naribus ſanguinis ſtillicidium; alvi colliquatio, et his ſimilia. De his autem adhuc certiores erimus, ſi et alia accedant, quae mortem praeire ſolent; ſi nimirum frigeſcant extremitates, aegerque frigidum expirat, floccos legat, fimbriaſque diducat. Indicia adſunt et alia perquam multa, quae mortem inſtare denunciant: alioqui enim ac in ſalutaribus, vultus, pulſus, ſpiritus, roburque ſtatu in eodem manent, vel omnia pejoribus commutantur. Hic autem loci monendum eſt, falſam aliquando quietem *criſem* ſubſequi lethalem: hoc, artis ignari *Apollinaris*, decipi poſſint; dum veris

(q) Hippoc. epidem. lib. 1. aegr. 7. p. 983.
(r) De praeſag. vit. et mort. lib. 6. cap. 11.

et

In peſſima etiam falſa aliquando adeſt allevatio.

et eruditis medicis facile innoteſcent, talem allevationem nequaquam eſſe fidelem; arreptaque aegroti manu, ex pulſu prorſus debili, inordinato, et inaequali, exitium in foribus eſſe cognoſcent, natura nempe jam penitus extincta. Fatendum ſane, in *criſibus* etiam *peſſimis*, aegrotos interdum non niſi ſub recidivis mori; ſi adhuc etenim robore aliquo gaudent, paululum convaleſcerint; et ſigna forſan quaedam *coctionis* e latebris ſuis evenient; at heu! brevi ſeſe ſubducunt, iterum labaſcunt aegroti, et ſic porro; miſeri ſpiritum trahentes miſerum, donec mors ſaepius exoptata, longum omnibus illorum malis finem imponat.

Et in iiſdem interdum recidivae contingunt.

Signa jam jam omnia retulimus, quibus *criſis* futura, cujuſcunque generis ſit, cognoſcenda: et cum dictum fuiſſet, dum *criſium* de *ſignis in genere* agebatur, quaedam uni eſſe propria evacuationi, alteri alia, et ſic porro; non abs re futurum igitur duco, ſi etiam *haec* paucis percurrere coner.

SECT. III.

De ſignis unicuique evacuationum et abſceſſibus criticis propriis.

Febres acutas per *ſanguinis eruptionem*, per *ſudores*, *alvi profluvium*, *vomitum*, et denique per

per *urinae fluxum*, ſolvi, nullos ignorare credo. Quaedam revera aliquando nato ſolvuntur *abſceſſu*; hae nempe tarde quae moventur, et quibus fuerat inſuper aperta nulla evacuatio: ſigna, quibus hocce praeſagiatur, horum, quae dicenda ſunt de ſignis evacuationum, ad calcem dabimus. Si ad exteriora humores vergant, tunc *criſin* aut per *ſudorem* aut per *haemorrhagiam eſſe* facturam, ſperare liceat.

Febres per varias excretiones, aliquando per abſceſſus ſolvuntur.

Per nares ſanguinis fluxum ſequentia plerumque antecedunt: facies in univerſum rubeſcit, partes praeſertim juxta nares poſitae; caput cervixque dolent; tenditur collum; graveſcunt tempora, arteriiſque in illorum magna oritur pulſatio; tinniunt aures, et quandoque ſurdeſcunt; hebeſcit viſus, ſplendores mendaces oculis ſubminiſtrantur; et exinde aegri, falſis ab imaginibus illorum oculis obverſatis, metu adeo percelluntur, ut clamant, in lecto reſurgunt, plurimoſque edunt conatus ſpectrum aufugere *(s)*: adſunt et invitae lacrymae, cum nullo alio lethali ſigno; narium pruritus; hypochondriorum con-

Haemorrhagiae per nares ſigna.

(s) Aliquid huic ſimile *juveni Romano* contigit, cujus mentionem facit Galenus, *lib. de. praeſag. ad Poſthum. cap.* 13. is enim rubrum ſerpentem per laquearia repentem ſe vidiſſe credidit, et hoc perterritus e lecto exſiliit: unde adventantem *haemorrhagiam* praeſagiebat Galenus, et ſanguinis miſſionem, quam alii turpiter praeſcripſerant, feliciter impedivit.

tentio,

tentio, doloris expers: difficultas ſpirandi huic ſupervenit; vigiliis vexatur aeger, et quandoque etiam delirat (*t*).

(*t*) Franciscus Solano de Luque, *medicus Hiſpanus*, omnes, ipſum imo praedictionum patrem, *criſes* praedicendo antecellere videtur: ex ſedula etenim pulſus in febribus obſervatione, tantam in hac re peritiam attigit, ut *modum* non ſolum *evacuationis*, at *horam* etiam qua futura fuiſſet, definire potuit; narrataque ſua teſtimoniis tot tantiſque fulciuntur, ut vera confirmataque omnibus ex neceſſe viderentur. Species tres *pulſuum* meminit, quibus criticae tres evacuationes praevideantur; de illo autem qui *per nares ſanguinis excretionem* antecedit, hic loci dicendum. *Dicrotum* eum antiqui vocant, qui lingua vernacula verti ſolet *rebounding pulſe*, quia reſilit quaſi, biſque una *diaſtole* tangentem digitum ferit. Ex intervallo quod inter *pulſus illos reſilientes* intercurrebat, tempus ſecuturae *haemorrhagiae* praefinire potuit: hoc eſt, ſi trigeſimo quoque *pulſu* arteria reſiliret, poſt quatriduum *haemorrhagiam* expectaret; ſi decimo ſexto, poſt triduum; poſt biduum, ſi octavo, vel biduum cum ſemiſſe; ſi denique citius recurreret, ſanguis intra nucthemeri ſpatium prorumperet. Si itidem *pulſus* hujuſce ictus ſecundus priore fuerit validior, ſequentem fore magnam *haemorrhagiam* indicabat, et *vice verſa*: at cum ictus primus atque ſecundus pari omnino robore pollebant, mediocrem tum fore expectabat. Durante *haemorrhagia*, illa reſilitio minuebatur; finita vero ſanguinis eruptione, ex toto ceſſabat. Si iterum recurreret, eadem futura rurſus *phaenomena* praeſagiebat. Haec et quae intervallo ex intercurrente diſcenda ſunt, de aliis quoque *pulſibus*, *criſes* alias denotantibus, intelligenda. Antequam hoc conficiam, notandum eſt, quod *pulſus dicrotus*, manu ſi in una quam in altera evidentior fuiſſet, majorem ſanguinis copiam nare ex ejuſdem lateris erupturam praedicit. Vid. *Nibell on the pulſe*, *p*. 1. &c.

Haec

Haec omnia ſemper non aegrotum laceſſunt; duo enim vel tria ex praecipuis ſufficiant ad *haemorrhagiam* praedicendam: nulla, ut opinor, explicatione indigeant, quum aperte impetum verſus caput, et copiam ſanguinis auctam, pro cauſa agnoſcant. Quinetiam vix opus eſt morbos ut recenſeam, qui per *haemorrhagiam* alia potius quam evacuatione exeunt: febribus eſt frequens ardentibus, at *larga* fieri debet, et *die decretorio*. Ab iſta inſania, Graecis φρενῖτις dicta, per eam, ſaepe liberati fuerunt aegroti; ad haec aliae acutae continuaeque febres, capitiſque dolores etiam abſque febre, ab eadem quoque ſublevati fuerunt. Inflammationes, quae ſub praecordiis fiunt, hepatis maxime lieniſque, hac pariter via judicati fuerunt: ut et febres denique omnes ex plethora ut plurimum ortae, potiſſimum vero ſi aegroti aetas atque temperies, anni tempus, regio, &c. memoratis ſupra conditionibus gaudeant. Haec de *criſi* quae fit per nares *haemorrhagia*: aliis eſt potior omnibus fideliorque; unde ſpem in ea ſummam ubique poſuit Hippocrates.

Duo vel tria ex praecedentibus ad haemorrhagiam praedicendam ſufficient.

Morbi qui per haemorrhagiam exeunt.

Experientia autem eſt compertum, morbos quoque ſolvi ſanguine ex aliis erumpente partibus (*u*); e *vaſis* nempe *haemorrhoidalibus*, aut ex

(*u*) Hippoc. epidem. lib. I.

Interdum quoque ſolvuntur haemorrhagiis per vaſa haemorrhoidalia, aut per uterum.

utero. Haec ſignis utriſque communibus dignoſcuntur, dolore nimirum et gravitate lumborum, calore in eiſdem aucto, dolore et tenſione in hypogaſtrio, oriſque ventriculi moleſtia. De ſymptomatibus *ſudoris futuri* proxime differendum.

Critici ſudoris ſigna.

Omnibus fere morbis in acutis, ubi ſigna *coctionis* praeceſſerint, et ubi *ſigna* haecce iterum *critica* excipiant, illa nimirum, *quibus* in genere futura *criſis* praemonſtratur, *alvo* quinetiam *urinaque* ſuppreſſis, nulliſque *haemorrhagiae* aut *vomitus* notis apparentibus; tum per *cutem judicatio* perfici ſolet. Multoque magis ſi, acceſſio dum intenditur, delirat aeger; itemque ſi tota corporis ſuperficies incaleſcit; rubet; vaporemque calidum quendam emittit, qui antea non fuit. Sub hoc tempus quoque pulſus fit undoſus et inſigniter mollis (*x*), et aegroti in inſomniis ſeſe aliquan-

(*x*) *Hiſpanus* nuperrime laudatus, ex pulſu quem *incidunm* vocat, *ſudores criticos* potuit quoque praeſagire; et eum ita ſe habere deſcribit, ut binae, tres, vel quatuor pulſationes, illo quo ordine ſe ſequuntur, non tantum ſupra praecedentes, at etiam ſupra ſe mutuo inſurgant, ita ut ſecundus robore primum ſuperet, tertius ſecundum, et ſic porro; talemque, arteriae cum mollitie quadam, ut ſignum ſudoris critici certiſſime certum eſſe ponit; et ex numero vigoreque *pulſuum* horumce naſcentium, in compoſita ratione, quantitatem ejuſdem determinare ſolet. Vid. Nihell, l. c. p. 7.

do

do balneis prolui putant; id quod ſibi per acutam febrem ſudaturo contigiſſe, meminit LOMMIUS (*y*). Modo prolatis, ex RIVERIO ſubjungere licet, quod " rigor aut horror in febribus continuis apparens, *criſin* per *ſudores* imminere ſignificat (*z*);" et idem quoque febris in omni paroxyſmo intermittentis obſervari poteſt. *Sudores calidi*, partes qui occupant corporis omnes, ubertim manantes, *boni ſemper* habeantur, et *vice verſa*. Haec de *criſium* per *ſudores* ſignis et eventu. Humoribus ad interiora vergentibus, *criſes* fient aut per *alvi dejectiones*, aut per *vomitus*, aut per *urinas*: de criſi per *haemorrhoidas* aut per *uterum* ſic quoque facta, prius agebatur.

CRISIS, quae per *alvi fluxum* eſt futura, *ſignis* non adeo certis cognoſcitur (*a*). Nihilominus autem *criſis* ex futurae *ſignis*, dummodo ceteris *ſigna* propria evacuationibus latent, futuram *alvi dejectionem criticam* ſcire poſſumus. Revera autem non omnino ασημον eſſe videtur; ex HIPPOCRATE quippe colligimus, *judicium* ſequentia *hocce* praenunicare; frequens nempe ructus; multus flatus; crepitus ventris, et ejuſdem

Criſis per alvi fluxum ſigna.

(*y*) Obſerv. med. lib. 1. p. 46.

(*z*) Oper. omnia, lib. 3. ſect. 3. cap. 7.

(*a*) Galen. de criſib. lib. 3. cap. ult.

extuberantia, cum borborygmis; inteſtinorum tormina, ipſorumque morſus; lumborum dolor; genuum gravitas; hypochondria ſuſpenſa, atque murmurantia (*b*). Haec omnia, *ſignis criſis futurae praeeuntibus*, materiae metaſtaſin morboſae ad inteſtina, et *criticam* in propinquo eſſe *dejectionem*, deſignant.

Futuri vomitus ſigna.

Si humores intro inclinantes ventriculo obſident, *criſin* tum per *vomitus* fieri debet: quapropter *ſigna* decet, quibus hicce quoque indicatur, nobis innotuiſſe. Primo itaque dicam, acri mordicanti dolore atque vertigine, ante vomi-

(*b*) Lib. 4. aphor. 20. et 73. et in Coac. praeſag. text. 142. Cui addamus, quod *ſignum diarrhoeae futurae criticae*, erroris in totum expers, ex *pulſu* prorſus *intermittente* collegit Solano; et quamvis *pulſus hicce* pro peſſimo ſemper in febribus habebatur, aſſeverat tamen, illum tantum fieri lethalem, ſiquando *criſin* natura perficere nequit. Materiae quantitatem ejiciendae, intermiſſionis ex duratione novit; ſi nimirum unius ſpatium *diaſtoles* complevit, evacuationem fore parvam indicavit; majorem, ſi binarum; ſi autem duarum cum ſemiſſe, (intermiſſio quae longiſſima eſt a Solano unquam obſervata), excretionem veriſſime largam ſignificavit. Tenſione ex arteriae cum intermiſſione, vomitui diarrhoeam copulaturam ſolebat praeſagire; ejus dum mollities cum eadem, *urinae* profluvium *vomitus* jam dicti locum occupaturum, deſignavit. Utriuſque evacuationis quantitatem, arteria a majore vel minore tenſione aut mollitie, praeſciebat. Vid. Nihell, loc. cit. p. 5. &c.

tum,

tum, aſſici caput; oris cum ventriculi morſu; faſtidio atque nauſea: tenebricoſae apparitiones oculis obverſantur; amareſcit os, et ex eo multum tenueque ſputum manat; labium inferius agitatur, ſive tremit. Inſuper ſolet et accidere rigor aut horror; anteriuſque veluti ſuſpenſa, hypochondria tenduntur, ſimulque refrigeſcunt; oritur etiam et dyſpnoea, et pulſus ſit altus, inaequalis, atque durus (*c*). Certiorem denique *vomitum* eſſe voluit cel. LOMMIUS, ſi febris tertiana ſubeſt, ſi aeſtas eſt, homoque ſi quintum et trigeſimum aetatis annum exceſſit (*d*). An res ita ſeſe tenet, medicorum judicio practicorum permitto.

Crisis per urinas ſigna.

QUOAD *criſin* per *urinas*, *ſigna* pauca admodum proponuntur; forſan quia rarius *urinae* profluvio ſolo judicantur febres, nam aliis plerumque excretionibus comitari videtur. In ea ſane *veteres* ſigna *cruditatis coctioniſque* praecipue quaeſivere, raroque per eam materiae expulſionem morbi ſperaverunt. Quaedam attamen non omnino deſunt praeſagia, eam quae praenunciant; quum ex abſentia ſignorum, quae alios excretionis modos

(*c*) Hippoc. prog. text. 3c. & Epidem. lib. 1. aegr. 13. & Prim. prorrhet. text. 3. & Galen de criſibus, lib. 3. ſub finem.

(*d*) Obſervat. med. lib. 1. p. 45.

indicare

indicare ſolent, dum adſunt indicia, *criſin*, quae futuram in genere demonſtrant, et imprimis ſi capitis, hypochondriorum, ventriculi, inteſtinorumque dolor abſit: his jam dicam ita ſe habentibus, eam per *urinas* futuram eſſe colligendum eſt: maximeque ſi non vehementer ſeſe jactitat aeger, ſi adſit in hypochondrio gravitas; inflationiſque ſenſus in veſica; aegerque, ſi dum mingit, ardorem vel pruritum pudendi in extremo ſentit: haec quodammodo *urinae profluvio critico* ſunt propria; majorque his fiducia debetur, ſi conſtitutione in hyberna cernantur, aetateque ſenili; ubi nimirum magna eſt cuti denſitas: et adhuc etiam certiores redduntur, ſi, die *indicatotorio* praecedente, aeger ſaepe micturire iviſſet.

Jam breviter *ſigna* recenſui, quibus quaeque evacuationum futurarum a ſe invicem dignoſci poſſint. Attamen cum plerumque fit, non unica *criſi*, ſed aut duplici aut multiplici, morbos judicare; probe itaque medicum oportet practicum, uniuſcujuſque in memoria praeſagia habere; hiſce nam adjutus, facile plures, ſi futurae ſint, *criſes* praevidebit.

Noster ad finem tandem ſermo feſtinat. De *ſignis* jam abunde *criſium* diximus, quae per evacuationes ſat apertas terminantur; ideoque nunc tantum

tantum reſtat ut ad illa tranſeam, quibus *abſceſſus* praenoſci poteſt.

Signa futuri abſceſſus.

Febres diu trahentes, citraque vigeſimum diem jam prorogatas, evacuatione nulla *critica* evidente, quibus vero urina tenuis et cruda longo tempore fertur, has converti ad *abſceſſum* ſperare poſſumus. Sub hiſce autem caſibus, urina multa multamque habens ſubſidentiam, et quae inſuper alba craſſaque videtur, *abſceſſus* metum detrahit; talis quippe morbi ſolutionem paulatim *coctione* ſignificat. *Abſceſſus* juxta aurem qui futurus eſt, ſic praenoſci ſolet: ſubitanea oritur dyſpnoea, mox iterum quieſcit; cui protinus capitis gravitas dolorque ſuccedunt; altuſque demum ſopor, ſurditas atque, aegrotum occupant. Diuturnus vero cum morbus omnino evadit, notaeque deſunt *parotidis*, quamvis pro certo fieri debet *abſceſſus*, ſi inflammatio tunc temporis ejuſque ſequelae (rubor ſciz. dolor, ardor, *&c.*) partes corporis inferiores invaderent, ſcire licet his locis *abſceſſum* eſſe oriturum.

Concluſio.

Te, L. B. adhuc pauliſper ſiſtere velim; ut, tibi dicendo quid de *meo* jam peracto opuſculo ipſe ſentio, cenſores anticipem. *Cruda eſt ſententiarum farrago*; et

Dum relego, ſcripſiſſe pudet; quia plurima cerno
Me quoque qui feci, judice digna lini.

Ovid.

Rem

Rem ſane difficilem aggreſſus ſum; quapropter ſi deficere videor, et pro certo defeci; te rogo oroque, calamo juvenili et forſan nimis feſtinanti, condonare.

Si juvenis es, juveni te monere licet: hocce penſum lubentiſſime, non ut dictator, ſed ut homuncio humano generi amicus, et tibi condiſcipulus, jamjam ſuſcipiam.

Nomine ſi Medici gloriari cupis, tuo libros veterum pollice tere, ſcriptaque potiſſimum Graeca, *nocturna verſa manu verſaque diurna*; facta, quae narrant, *decies repetita placebunt*; conjectura quae aſſecuti fuerunt, aut theorias ab illis prolatas, omni, revera confitendum, baſi carere; et quoniam *nullius in verba* jurandum eſt *magiſtri*, has tuto tibi praeterire licet. *Nemo ſine vitiis naſcitur*, gravia adſunt et veteribus vitia; at cum utilia saepiſſime ſcripſerunt, *ne paucis igitur offendare maculis.*

Neutiquam magis antiquorum diligentia clareſcit, quam in iſtis quae de *criſibus* dixere; haec quidem luculenta exempla praebent, illos *non excogitaſſe aut finxiſſe, ſed inveniſſe quid natura faciat aut ferat:* et quoniam Hippocratis ſententia hac de re vera eſſe videtur experientiae proles, obſervationiſque alumnus; et cum eadem tanti quoad medicinam eſt momenti, jure

igitur

igitur attentionem medici ſedulam poſcit: detur; quum hac ſola adjuvante ſcientiis aliis omnibus medicina longe ſuperemineat. Quid etenim pulchrius, ratione quam futura praenoſcendi, effectuſque tenebris obvolutos alteque repoſtos praevidendi? quid ſanitatem ad amiſſam recuperandam plus conferre poteſt, notitia quam illorum quae in corpore fiunt, vel factura ſint? Et ne denique, L. B. te diutius morer, nonne ſat manifeſtum eſt, quos criſes neſcire, medicinam neſcire? quandoquidem hiſce, et eis ſpectantibus, tempus tantummodo ſtatuendum, quo medicum otioſum ſpectatorem, quo adjutorem, et quo denique tempore naturae imperatorem, agere debet.

Homines ad deos nulla re propius accedunt, quam ſalutem hominibus dando.

CICERO.

F I N I S.

C O R R I G E N D A.

Etsi ſummam diligentiam diſſertatiunculae hujuſce auctor impendebat, ut eam typographorum ab erroribus liberam ſervaret ; quidam attamen in eam irrepſerunt, quos lector ut benevolus corrigat, maximam illorum partem ſequi curavit auctor.

Pag.	*lin.*	
10.	19. 20.	*pro* intum *lege* inventum
23.	13.	*pro* σεπειvη *lege* σήπειν
30.	19.	*pro* fuerit *lege* furit
37.	10.	*pro* ειθεσμενων *lege* εἰθισμένων
41.	9.	*pro* qua *lege* quae
43.	penult.	*pro* p. 31. not. *(z)* *lege* p. 33. not. *(b)*
46.	18.	*lege* complecti paucis
47.	12.	*pro* exiſtmet *lege* exiſtumet
58.	27.	*lege* ab arteriae
60.	18.	*pro* poſſint *lege* poſſunt